

schyli Choephoros et Electram Euripidis comparare. Peropportune enim ad historiam Graecae tragoediae accidit, ut idem argumentum a tribus nobilissimis poetis, et quidem his, in quibus quasi tres aetates tragoediae discretas videmus, tractaretur, eaeque fabulae omnes ad nostra tempora superstites essent. Atque etsi rude illud Aeschyli inventum, e cincinno et pedum vestigiis ac vestis textura agnosci Orestem, modeste ab Sophocle, gravius ab Euripide a v. 524. reprehensum est: tamen suas quasdam easque tantas Aeschyli fabula virtutes habet, ut sint, in quibus nec Sophocles, et multo minus Euripides eum aequaverint. Sed de his qui recte disputare volet, illud bene meminerit oportet, aliud Aeschylo, quam Sophocli et Euripidi consilium fuisse, quum hi in sola Clytaemnestrae atque Aegisthi vindicta constiterint, ille autem totam voluerit domus Agamemnoniae cladem describere. In qua re hoc quoque reputandum erit, quum in trilogia diversitas quaedam fabularum requiratur, fuisse, quae Aeschylus respicere debuerit, illi autem non opus habuerint spectare. Deinde cogitandum erit, optima